



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Tripartita Demonstratio, Worin Augenscheinlich wird  
vorgestellt/ Daß Die Stadt Hildesheim von Jhrem Anfang  
biß hiehin den Herren Bischöffen Als jhren  
Landts-Fürsten/ Gleich anderen Municipal-Städten ...**

**Hildesheim, A[nn]o 1691.**

Num. 89. Extractus ex Actis Romanis Hildesheim contra Braunschweig.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38409**

Extractus ex Actis Romanis Hildesheim  
contra Braunschweig.

**B**eatissime pater, licet afflictis non sint afflictiones addendæ, ac Consules, Consulatus Civitatis Hildesensis sint subditi, & subjecti tam in spiritualibus quam temporalibus Ecclesie Episcopo & Capitulo Hildesimensi, ac eis per suas literas astricti juramento fidelitatis etiam de tutandâ, & conservandâ oratorum immunitate & libertate Ecclesiasticâ, tamen alias postquam Ecclesia, Episcopus, & Capitulum præfati, ipsiusque Ecclesie singulares Canonici, & Personæ, aliique eorum subditi per urgentissima bella eis per Duces Brunswicensis illata, maximis damnis affecti fuerant, ipsaque Ecclesia, Episcopus, Capitulum, Canonici, Personæ, & alii subditi, in suis ac Canonorum, & Capituli prædictorum redditibus, proventibus, & bonis multimodas jacturas & damna patienter sustinent, præfati Consules & consulatus, cum consilio, & consultatione personarum infra scriptarum, præfatos Canonicos & Capitulum ejusdem Ecclesie violenter per comminationes, & metum, qui potuisset & debuisset in viros cadere constantes, ad dandum & solvendum eis summam decem millium florenorum Rhenensium, vel eorum valorem sub falso colore, quod ipsi Consules, & Consulatus, similem summam in utilitatem Sedandorum bellorum prædictorum omninò converterint, ita quod ipsi Canonici & Capitulum non habentes, unde possent meticulousam summam decem millium florenorū hujusmodi præfatis consulibus & consulatui hujusmodi adversariis solvere, cogebantur & coacti fuerunt eadem deputata præfatis consulibus & consulatui consignare taliter, quod Ecclesia prædicta ad maximam inopiam redacta est, & quod Divinus cultus non potest plus in eâ, ut consueverat, & decet celebrari. Præterea præfati Consules & Consulatus per similes comminationes, & metum diversas alias pecuniarum summas, à pluribus Canonicis Capituli, & Ecclesie prædictorum, qui eas ab aliis personis mutuò recipere cogebantur etiam extorserunt, adeò quod bona ejusdem Ecclesie & fructus Canonorum prædictorum, in usus Creditorum, à quibus etiam partem pecuniarum prædictarum mutuò acceperunt, pro redditibus annuis assignare, necesse sit. Rursus etiam consules & consulatus adversarii prædicti Ecclesiam eandem ad exterminium dilapsam fore nullatenus ignorantes, præfatos Canonicos & Capitulum, ut aliam magnam pecuniarum summam ab eis extorquerent diversis minis, & terroribus afficere denuò inceperunt, sed quamvis præfati Canonici & Capitulum dictis consulibus & consulatui ad memoriam reducerint, quod ipsi nullam in ipsos Canonicos & Capitulum jurisdictionem haberent, sed e contra, & quod ipsis Canonicis nil amplius restaret, quod in similes usus erogare possent, seque de stando juri super impetitionibus quibuscunque dictorum consulum, & consulatus eorundem Episcopo tanquam suo ordinario, seu quocunque alio competententi Judice parere offerrent, dictosque Consules & Consulatum, ut se à præmissis oppressionibus temperarent, humanitus obsecrarent, ne ipsi Canonici in opprobrium status Clericalis ostiatim mendicare cogerentur, neque consules, & Consulatus pœnas in violatores Ecclesie libertatis

tatis statutas incurrerent, tamen præfati consules, & consulatus instar aspidis surdas aures suas obturantes interjecto paucorum dierum intervallo, Brigarios Milites, & pedites stipendiarios, in quamplures Curias plurimum ex Canonicis prædictis, transmiserunt, qui esculenta, & poculenta ac frumenta, & Blada ibidem existentia, vestes, utensilia, supellectilia resq; alias & bona Canonicorum prædictorum pignori vendiderunt, & in scortorum turpissimos usus converterunt, ipsosque Canonicos ludibrio reputantes non parum damnificarunt. Quare cum similia non sint, conniventibus oculis silentio transeunda, sed merito coercenda, supplicanti dicti Canonici & Capitulum Oratores, quatenus dignetur alicui ex Reverendis Patribus Dominis sacri Palatii Apostolici causarum auditoribus, & si placet Reverendo Patri Domino Mercurio de Viperâ Palatii hujusmodi causarum auditori, cui causa occasione bellorum prædictorum contra, Duces Brunsvicensis ad instantiam dictorum Oratorum commissa, reperitur, committere, & mandare, ut constituto sibi summarie etiam extrajudicialiter de assertis, quosdam Theodoricum Pyninck, & Henningium Konerding Burgimagistros, & duos seniores post eos, videlicet Hermanum Stein, & Conradum Gottschalck, ac quatuor Seniores, & viginti quatuor, assessores dicti Consulatus, videlicet, Henricum Breiger, Henningium Boenstede, Arend Buffe, & Conradum Dencke, omnes de dicto Consulatu, aliosque Consules & totum Consulatum præfatos, ac omnes & singulos tam consulatus, quam Civitatis prædictorum & alias Personas quascunque in præmissis culpabiles, & in executione litterarum vigore præsentis commissionis decernendarum nominandas, dummodo non ultra, quindecim moveat & requirat, moveri & requiri faciat per se, vel alium, seu alios in Romanâ Curiâ, & extra eam cotiens, quotiens opus fuerit, etiam per edictum publicum, constituto summarie de non tuto ad eos accessu sub Sententiis & Censuris Ecclesiasticis, ac pecuniariis de quibus eidem auditori videbitur, pœnis per eos, qui non paruerint, eo ipso incurrendis, infra terminum peremptorium, eis ad id per eundem Dominum auditorem præfigendum Personaliter, in Romanâ Curiâ coram ipso Domino Auditore comparendum, & se de præmissis legitime excusandum, nec non Ecclesiæ ac Canonicis & Capitulo, & illorum Personis prædictis omnes & singulas pecuniarum summas ac vasa aurea & argentea, ac jocalia prædicta restituendum, ad desistendum & cessandum ab ulterioribus similibus impetitionibus, molestationibus & impedimentis, præfatis Canonicis, Capitulo & Personis Ecclesiasticis quomodolibet inferendis, & ad docendum infra terminum etiam peremptorium sibi ad id per eundem Dominum Auditorem similiter præfigendum se monitionibus & requisitionibus hujusmodi pœnæ paruisse &c. Secunda vero talis erat, videlicet &c.

*Placet Domino Nostro Papæ L. Card. Campegius.*

Num. 90.

Extract **E**hrfürsten Ernesti Schreibens an Dero  
Statthaltern Waltern von Hohenek abgange/  
und den 15. Junii überantwortet.

**H**erner haben Wir überantworteren dieses Herzl Juden auff sein Un-  
sterthänig Anhalten/ an Unseren Stadt-Rath zu Hildesheim  
Schrei-

1 VI  
28